

vebitur voluntas. Respondetur quod appetitus sensitivus, et ejus objectum sensibile non agit immediate in intellectum immutando ipsum, sed in phantasiam, quæ est immediatum directivum, et regulativum appetitus, ibi enim repræsentatur appetitui bonum proportionatum ei, et rursus ipsa passio, et affectus talis appetitus iterum in phantasia repræsentatur, sicut affectus voluntatis cognoscuntur ab intellectu. Phantasmata autem movent intellectum virtute intellectus agentis, et intellectus possibilis intelligit per conversionem ad phantasmata, et cum dependentia ab illis, et connotando illa, quatenus ab eis intellectus agens abstrahit species, quas ponit in intellectu possibili. Unde videns intellectus relucere in phantasmata affectum appetitus sensitivi, et convenientiam ejus ad objectum, ipse quoque intellectus tali repræsentatione pulsatur, eique objectum sic dispositum repræsentatur, atque eodem modo præsentat ipsum voluntati. Omnis autem motio, quæ fit in voluntatem media repræsentatione objecti dicitur moralis, quia fit per contactum repræsentativum, non entitativum, seu physicum.

QUIBUS CONVENIAT MOVERE PHYSICE VOLUNTATEM?

XV. Dico tertio: Efficienter, seu physice, et quoad exercitium voluntas movet se ipsam de uno actu ad alium; et similiter Deus movet interiorius voluntatem non solum mediante repræsentatione, et apprehensione objecti, sed etiam efficienter, et physice immutando ipsam, eo quod Deus non se habet solum ut objectum, sicut appetibilia, sed ut primum principium, et causa efficiens omnium motuum, et actio-

num voluntatis erga quodcumque objectum: ita quod sicut potentia ipsa voluntatis effective se movet, et radix voluntatis, quæ est ipsa natura se habet ut principium hujus efficientiæ radicale, ita Deus ut radix ipsius naturæ. *Portans omnia verbo virtutis suæ*, et ut principium universale, et primum tam naturæ, quam potentiæ, in eadem linea causæ efficientis realiter, et physice motum voluntatis principiat. *Et operatur ipsum velle et perficere*. Itaque voluntas solum duplici via, et quasi per duplicem portam potest admittere aliquam immutationem. Primo, per objecta, et hæc fit per intellectum proponentem, quatenus ipsa convenientia, et bonitas objecti propositi movet, et allicit. Secundo, per reale efficientiam, quæ intus in ipsa voluntate agit. Et hæc solum potest esse Deus, qui est factor ipsius voluntatis, et ipsamet voluntas, quæ se de uno actu movet ad alium: in primo autem actu non potest se movere de uno actu in alium, cum ille fit primus, et ita loco suæ motionis, et prioris actus, quo se movet, a solo Deo movetur, præter generalem illam motionem, qua Deus influit in omnem actum physice tamquam radix, et principium omnium motuum, multo magis quam anima suarum potentialium, et actionum: *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*, Actorum VII.

XVI. Conclusio est notissima in sententia D. Thomæ. De priori parte, quod voluntas se moveat quoad exercitium, et effective, agit in hac quæstione IX, art. III. De secunda vero quod moveatur efficienter a Deo, et non solum objective, agit in hac eadem quæstione IX, art. VI. Et latius I p. quæst. CV, art. IV, et in III, contra gentiles, cap. LXXXVIII, et sequentibus, ubi distinguit istum duplicem modum movendi, scilicet

objective, et effective, id est, quoad specificationem, et quoad exercitium. Et quidem objective movent voluntatem, non solum ipse Deus, qui cum sit summum bonum, est præcipuum objectum voluntatis, sed etiam creaturæ secundum bonitatem, quam habent, et in quantum eam apponunt per intellectum. Effective autem, et quoad exercitium ipsa voluntas se movet, et Deus eam interiorius agendo.

XVII. Igitur quod voluntas moveat se effective, negari non potest; procedit enim de uno actu ad alium ipso pondere, et inclinatione appetendi et volendi, quia appetitus, inclinatio, et pondus est, proprium autem est inclinationis, et ponderis impellere, et effective agere, unde et ipsa volitio impulsus est. Et quando voluntas alias potentias applicat, et movet, quoad exercitium, et effective eas movet, et per impulsus. Non minus autem se ipsam movet hac motione impulsiva, quia ex volitione movetur ad aliam, volitio autem impulsus est. Ergo impulsive se movet. Patet hoc, quando de uno actu volendi ad alium se movet voluntas, ut de volitione, et intentione finis ad electionem mediorum, ut ægrotus ex amore sanitatis vult, et impellitur ad sumendam potionem amaram. Constat etiam exemplo intellectus, qui efficienter influit, et se movet de assensu præmissarum ad assensum conclusionum, eo quod admissis præmissis cogitur, et necessitatur ad admittendam conclusionem, nec potest dissentiri: ergo assensus præmissarum facit, et operatur effective ad assensum conclusionum, nec enim unus actus potest cogere elicientiam alterius, nisi in genere causæ efficientis. Voluntas autem modum intellectus imbuat in hoc quod est procedere, et se movere de uno actu ad alium. Et multo magis habet hæc motio

genus causæ efficientis, quia voluntas movet per inclinationem, seu pondus, aut impulsus, non per manifestationem objecti. Motio autem inclinativa, et impulsiva est per modum efficientiæ, et ponderis. Et cum ex uno actu voluntas accipiat pondus, et inclinationem pro alio, sicut ex amore finis ad media, ideo ex uno actu efficienter se movet voluntas ad alium; nec enim unus actus efficit alium eliciendo illum, sed voluntas elicit, et efficit ut actuata, et inclinata per actum præcedentem, tamquam per pondus: imo non aliunde sumit voluntas vires, nisi ex inclinatione, et pondere, et quanto magis inclinatur in finem, tanto majori vi, et pondere fertur in media, juxta illud Augustini: « Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror. » Ex hoc enim infra circa quæstionem CIX, probabimus vires gratiæ quibus animam sanat, ut ferventer operetur, et debite ex amore finis desumi, qui quanto est vehementior, tanto est fortior in inclinando voluntatem, et agendo illam, vires enim pondus sunt.

XVIII. Sed inquires, quænam sit ista efficientia, qua voluntas se movet et quomodo fiat. Nam vel est aliqua elicientia ipsius actus ad quem movet, aut imperium, ita quod vel moveat elicitive, vel imperative. Non elicitive, quia unus actus non elicit alium, sed utriusque actus elicientia est ab ipsamet potentia immediate, ex ea enim vitaliter germinat, et elicitur quilibet actus. Dicit autem D. Thomas in hac quæstione IX, a. II, quod voluntas ex uno actu se movet ad alium; ergo illa motio non est elicientia actus ad quem movet. Si autem dicatur, quod est imperium, talis motio erit moralis, non efectiva; præsertim quia imperium est actus intellectus, ut docet D. Thomas infra quæstione XVII, art. I;

ergo si voluntas ex uno actu movetur ad alium imperative, movet mediante intellectu, et propositione, et sic illa motio est moralis, et objectiva, non quoad exercitium, et effectiva, respondetur quod illa motio non est sola elicentia actus imperati ad quem movetur voluntas; si enim ad eliciendum secundum actum movetur effective voluntas ex priori, non potest ista motio esse illa elicentia si quidem ad hoc est motio ista, ut illa elicentia, seu actus fiat. Est ergo aliud antecedens elicentiam secundi actus ad quem fit motio. Et non antecedit elicentiam actus ad quem movetur, nisi imperium, et usus. Imperium quidem originatur a voluntate quantum ad sui efficaciam, sed exercetur in intellectu quantum ad denuntiationem, seu intimationem, quæ est manifestatio quædam; et ex illa parte, qua originatur a voluntate habet imperium originari ab aliquo impulsu, et volitione inclinante, quæ effective se habet respectu voluntatis, quando imperat sibi ut alium actum eliciat. Usus autem, ut dicit D. Thomas infra quæstione xvi, est applicatio voluntatis ad operandum, sive applicet alias potentias executivas, sive etiam applicet ipsam voluntatem, nam etiam aliquis usus præcedit imperium, ut docet D. Thomas infra quæstione xvii, art. iii, et omnis applicatio voluntatis largo modo dicitur usus. Quare cum voluntas effective movet se ipsam de uno actu ad alium, illa motio non est ipsa elicentia actus ad quem se movet, sed illa applicatio qua voluntas utitur ipsa, et applicat se ipsam ex priori actu ad posteriorem. Sicut enim qui applicat ignem ad calefaciendum, non applicat illum per calefactionem, sed applicatio fit per motum localem, qui antecedit ipsam cale-

factionem, ita voluntas se movet de uno actu ad alium per applicationem, qua voluntas se impellit et agit ut operetur, et eliciat alium actum. Et hæc applicatio est actus ipse prior voluntatis unde derivatur, et oritur posterior non absolute consideratus in se, sed ut immutans ad alium, et disponens voluntatem ad illum, quatenus ille prior actus ordinem, et respectum dicit ad alium, et quasi actuatam, et ponderosam reddit voluntatem ad illum actum, quem virtualiter continet: sicut assensus præmissarum, quia virtute continet conclusiones, intellectum deducit, et quasi impellit, et applicat ad ipsas inferendas, et cognoscendas. Unde S. Thomas i p. quæst. lxxxii, art. iv, dicit: « Quod voluntas movet intellectum, et alias potentias sicut alterans movet alteratum, impellens movet impulsum. » Quod totum pertinet ad applicationem, seu determinationem, et pondus potentiæ ad eliciendum aliquem actum circa aliquam materiam, seu objectum, sicut ignis applicatur ad calefaciendum aliquod passum.

XIX. Sed inquirens, an ista applicatio, qua voluntas se agit, et determinat, et quasi impellit, producat efficienter in aliquid ipsa potentia mota, et applicata, et ponderante in alium actum; an vero solum moraliter se habeat, tamquam imperium, quod est actus rationis, quæ movet denuntiando, et proponendo objectum, cum inclinatione, et efficacia voluntatis, vel solum sit per modum sympathiæ, et colligationis potentiarum in eadem anima, unde resultat, quod operante una potentia, et ordinante aliquid de alia, illa etiam moveatur, non propter aliquam immutationem in se receptam, sed solum propter illam conjunctionem, et immediationem unius cum alia.

XX. Respondetur de hac difficul-

tate late nos egisse in libris de anima, quæstione xii, ubi juxta D. Thomæ sensum probabiliter visum est, quod voluntas in hac applicatione, et motione sive sui, sive aliarum potentiarum, aliquid effective illis imprimit, easque immutat ad talem determinationem, quidquid illud sit quod de novo illis superinducit, sive modum aliquem, sive realitatem per modum transeuntis et motionis. Non enim sufficit nuda, et sola sympathia, seu colligatio potentiarum in eadem anima. Tum, quia aliquando una potentia resistit alteri, ut appetitus voluntati, et voluntas sibi ipsi onerosa, et tædiosa est aliquando, concupiscitque desiderare (et ut inquit super illum locum Psalmi cxviii: Augustinus) « Prævenit intellectus, sequitur tardus, aut nullus effectus. » Ergo cum aliæ potentiæ, aut etiam ipsa voluntas sibi ipsi propter indifferentiam libertatis suæ aut languescat, aut resistat, non sufficit sympathia, et colligatio potentiarum in eadem anima, sed requiritur motio, aut nova aliqua immutatio, ut dicatur ipsa voluntas applicare, et determinare, et movere cum effectu. Sympathia enim solum deservit in potentiis sic subordinatis, quod una non resistere possit alteri, si enim datur resistentia, non vincitur nisi immutando, et movendo. Tum etiam, quia ista colligatio potentiarum semper eadem manet, nec tamen semper applicat, et movet, et determinat; ergo aliquid de novo debet fieri ut de novo dicatur determinari, et moveri hæc potentia ab illa. Nec sufficit de novo unam ex colligatis potentiis operari, ut altera dicatur moveri, et determinari de novo. Etenim illa nova operatio non immutat de novo istam colligationem, et sympathiam, neque potentiam ipsam colligatam, quia (ut supponimus) nihil de novo in illa pro-

ducit, nec illam immutat; ergo impertinens est quod in illa potentia sit nova operatio, si nihil novum in ipsa colligatione, nec in ipsa potentia colligata ponitur. Quomodo ergo de novo movetur, et determinatur illa altera potentia colligata solum ex operatione posita in alia, si nec ipsa, nec ejus colligatio mutatur, sed manet sicut ante? Si enim diceretur quod posita alterius potentiæ operatione, ipsa colligatio, et sympathia immutaret potentiam alteram ut applicaretur, bene posset intelligi ista motio sympathica, quia ex tali obligatione induceretur de novo talis mutatio in illa potentia colligata.

XXI. Cæterum quod potentia colligata, de novo operetur, et applicetur ad operandum mediante illa sympathia, et colligatione, quæ omnino immutata manet sicut ante, impossibile est, si quidem quod eodem modo semper se habet, eundem semper effectum inducit; si ergo illa nova operatio prioris potentiæ nihil operatur in potentia inferiori, et consequenter respectu illius est perinde ac si non esset, et colligatio illa, seu sympathia se habet eodem modo atque antea, sequitur quod talis inferior potentia, etiam eodem modo se habeat, antea autem non erat applicata, neque determinata ad operandum; ergo neque modo ex vi sympathiæ.

XXII. Denique, quia si sola colligatio potentiarum, sine aliquo de novo posito, vel impresso sufficit ad movendum; ergo similiter qualibet potentia, vel membro operante poterit alia potentia, vel membrum sentire illam operationem, vel moveri, aut applicari sine nova mutatione, aut applicatione. Quod tamen in membris corporis videmus esse contra experientiam, et in potentiis interioribus contra discursum. In membris enim exterioribus, si una

manus movetur, aut alteratur, non continuo movetur, aut alteratur, aut applicatur altera, nisi per novam motionem, aut applicationem. In potentiis quoque interioribus apprehensivis mota una potentia, non continuo movetur alia ex tali colligatione, et sympathia; sed necesse est, quod una agat in aliam immitendo species, ut a sensu exteriori ad sensum communem, ab illo ad imaginativam, et phantasiam, inde ad intellectum; ergo sola colligatio, et sympathia non sufficit movere omnes potentias: cur ergo sufficiet illas? Denique, cum talis colligatio, et sympathia omnes potentias colligat in eadem radicatione, quacumque mota, movebitur alia, et e converso, et sic non erit major ratio, cur una sit movens, et imperans, quam alia, et quæ modo est imperata, postea sit imperans, si quidem colligatio, et unio illa in omnibus potentiis est, omnesque conjungit; ergo qua ratione operatio hujus per colligationem tangit aliam, etiam e converso, operante alia, ista tangetur, et sic ex vi sympathia quælibet erit movens, et quælibet mota; nec distinguetur modus motionis unius a modo motionis alterius, ut una sit per modum efficientis, alia per modum specificationis; una ut imperans, alia non; una despotice obediens, alia politice; quia colligatio una, et eadem in omnibus est; ergo si ratione solius colligationis fit motio, omnes motiones eodem modo se habebunt.

XXIII. Quod vero sicut non sufficit sympathia, et colligatio potentiarum sine nova impressione, et mutatione ut fiat ista applicatio, ita non sufficienter explicetur per solum imperium, prout præcise est actus denunciatus intellectus, probatur, quia licet pererumque hoc interveniat, præsertim quando voluntas procedit de uno actu ad alium

media consultatione, et judicio de novo, tamen cum ad hoc ipsum judicium, et imperium formandum, moveat voluntas intellectum, et id non possit fieri per aliud judicium imperativum, sic enim esset processus in infinitum, necesse est quod fiat per aliquam applicationem, seu communicationem voluntatis immediatam, et non mediante ipsomet judicium formandum voluntas movet efficacia sua.

XXIV. Quare verius est hanc applicationem, seu usum voluntatis fieri per aliquam efficientiam producentem aliquid in potentiis imperatis, quod est modus aliquis, seu motio, aut dispositio transeunter impressa tamdiu durans, quamdiu actu movet voluntas, et determinatur, seu movetur potentia mota. Et hanc efficientiam aliqui vocant redundantiam, quatenus ex una potentia intense operante redundat in aliam aliquis motus, ut ex gaudio intenso voluntatis redundat gaudium in appetitu sensitivo. Non potest autem ista redundantia intelligi, nisi per aliquam efficientiam; nec enim est sicut aqua effluens ex vase, sed sicut inundans flamma, quæ comburit alia, sic exæstuans voluntas effective redundat in appetitum inflammans illum. Quamquam etiam in hoc interveniat alia redundantia mediante objecto, quatenus gaudium voluntatis repræsentatur in intellectu, indeque moventur phantasmata repræsentantia suo corporali modo appetitui, sicque inflammatur mediante objecto proposito orto ex voluntatis affectu. Sed una redundantia non excludit aliam, quia affectus ipse voluntatis sic repræsentatur intellectui, quod voluntas etiam effective applicat illum, ut cum efficacia repræsentet, et moveat phantasmata, quæ ad ejus imperium formantur.

XXV. D. Thomas autem vocat

hanc efficientiam diffusionem quamdam alicujus virtutis de una potentia ad aliam, seu dispositionem secundum quod una potentia movetur ab alia, et secundum quod una potentia accipit ab alia (quod utique per aliquam transeuntem motionem fit) ut patet infra quæstione LVI, articulo II, et videri etiam potest quæstione XXII de veritate, articulo XIII. Quæ loca, et alia similia ponderavimus loco citato de anima, et ibi explicavimus, et etiam quomodo voluntas licet habeat actus immanentes, possit nihilominus etiam transeunter operari, propter eminentiam illius actus ad imperandum, et movendum alias potentias. Et generaliter vis intellectiva, et spiritualis hoc ipso, quod facta est superior corpore, et illud regere potest, non debet carere vi imprimendi in illud, actusque ipse intellectus, si sit practicus potest esse virtualiter transiens. Fatemur ergo imperium, ut actus intellectus est præcise solum movere mediante propositione, et denuntiatione objecti. Ut autem oritur præsuppositive ex efficientia, et impulsu voluntatis, etiam movet applicative, et quoad exercitium.

XXVI. De secunda parte conclusionis, videlicet, quod Deus moveat efficienter, et quoad exercitium ipsam voluntatem, dubitari non potest, si generaliter loquamur de omni concursu ad eliciendum actum requisito. Cæterum advertendum est, quod aliud est Deum concurrere concursu simultaneo cum voluntate ad ejus operationem; aliud movere ipsam efficienter, non solum moraliter, sed etiam physice in ea linea, et ordine quo ipsa anima tamquam radix proxime voluntatis concurrat, ut causa physica cum potentia voluntatis, Deus vero ut radix extrinseca: *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Quod ergo Deus simultaneo concursu concurrat cum voluntate

in actum, vix est qui neget, neque hoc in controversiam, debet admitti in scholis, licet aliqui recentiores cum Durando id negare velint. Quod tamen ut omnino absonum rectæ doctrinæ explodendum est. Et D. Thomas loquens de actu entitativo peccati dixit esse errori proximum dicere, quod non est a Deo, ut affirmat in II, distinctione XXXVII, quæstione II, articulo II dicens, quod illam opinionem ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia est propinquissima errori duplici. Primo, quia ex ea sequeretur, quod essent plura prima principia: secundo, quia sequeretur, quod aliquod ens non esset a Deo. Quare cum actus voluntatis sit entitas creata non minus habens esse, et dependens a Deo, quam quodlibet aliud ens creatum, quod per suspensionem concursus Dei potest esse (*Quomodo enim aliquid esset, nisi ipse voluisset?* ut dicitur Sapient. XI) oportet quod quando ille actus elicitur, et producitur a voluntate, etiam procedat a Deo ut causa universalissima totius entis. Et hæc dependentia est physica, et effectiva a Deo, quia Deus dat esse physicum actui; ergo influit physice non minus, quam ipsa voluntas eliciens.

XXVII. Et confirmatur, quia Apostolus dicit: *Quod Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Ex quo loco colligit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum capite XIX contra Semipelagianos etiam operari Deum ipsam fidem, et bonæ voluntatis initia, ac desideria; ergo cum dicit Apostolus omnia operari, in ly omnia, etiam actus voluntatis includuntur.

XXVIII. Difficultas vero est, an solum simultaneo concursu realiter et physice influat cum voluntate, sed etiam applicativo, et determinativo, et antecedenti, sicut etiam voluntas non solum per se elicit,